



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum VI. Cùm teneamur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

2 Adverte tamen primò, sermonem esse non de pluribus Canonijs, sed pluribus præbendis, seu beneficijs, prout constat ex ijs, quæ docui in c. ult. tit. præcedenti, & dicam in c. relatum 9. hoc tit.

3 Adverte secundò, necessarium esse, ut unus unius Ecclesiæ canonicatus seu præbenda sufficiat ad decentem sustentationem; nisi enim unum beneficium sufficiens sit, iusta causa adest accipiendi alterum, aut tertium, sive in eadem, sive in diversis Ecclesijs, dummodo compatible sint, sive communi jure, sive speciali.

4 Tertiò: licet ordinariè concessum non sit, imò juri naturali repugnans, si plura beneficia Clericus obtineat, quorum unum sufficiat ad honestam vitæ sustentationem, tamen ista pluralitas per accidentariam aliquam causam, videlicet Ecclesiæ necessitatem, aut utilitatem, vel evidentem meritorem prærogativam, cohonestari potest, sicuti dicitur in c. de multa 28 hoc tit.

5 Corollarium. Nulla consuetudine, aut privilegio validè vel licitè obtineri potest, ut Clericus ultra unum aut plura beneficia, quæ ad decentem ejus sustentationem sufficiunt, aliud insuper accipiat, aut retineat; præterquam si accidentaria causa rationabilis, & excusans adsit. Ita ex communi Abb. n. 3. Imola in fine cap. & docui lib. 4. tract. 2. c. 8. nam consuetudo adversus Jus naturale, seu juncta cum peccato, corruptela est, & abusus. c. ex parte 20. & ult. de consuetudine. Dispensatio autem seu privilegium concessum adversus Jus naturale, aut naturalem æquitatem, dissipatio potius est, quam dispensatio, secundum S. Bernhard. in tract. de dispensatione & præcepto.

6 Propter dicta Gl. in hoc c. V. plures quæritur, num Clericus duo beneficia in diversis Ecclesijs obtinens, utrobique conveniri possit. Respondeo, & dico primò. Certum est, quòd conveniri, ac citari possit in rebus, & causis pertinentibus ad beneficium, quod eo in loco habet, sicuti docet Gl. cit. Innocent. in c. cum jam n. 1.

hoc tit. Abb. in c. postulasti. n. 4. de foro competente, quemadmodum quisque conveniri potest ratione rei, sive possessionis, sitæ in loco juxta L. ult. c. quando in rem actio. & cap. sanè 3. & c. ult. de foro competente.

Sed ego arbitror, plus dicendum esse, videlicet, quòd Clericus, qui ratione beneficii tantum subditus est, licet ibi personaliter residere non cogatur, in causis spectantibus ad beneficium, simpliciter subditus sit Episcopo loci aut Capitulo, ita ut personaliter citari, puniri, & tanquam contumax excommunicari possit, cum tamen is, qui tantum ratione rei, aut possessionis forum sortitur, non ita personaliter constringi possit, sicuti docui in c. ult. de foro competente & in disp. de jurisdictione ordinarij con. 21. Ratio dari debet, quia beneficium, seu titulus in Ecclesia suapte natura, seu prima institutione personam subditam facit.

Dico secundò. Si Clericus plura beneficia personalem residentiam postulanti in diversis Ecclesijs obtineat, utrobique domicilium habere censetur, ac forum sortiri, ita ut coram utroque Episcopo, seu utriusque Ecclesiæ Judice Ecclesiastico, in causis ad beneficium non pertinentibus conveniri possit. Ita indicat Innocent. in c. ex ore de privilegijs. n. 2. & docet expressè Gl. hic V. plures in fine. Abb. in cit. c. postulasti. n. 4. argum. c. dilectus. 29. juncta Gl. V. domicilium de rescriptis, & assumptio c. ff. ad municipalem, ubi dicitur, quòd duobus in locis aliquis domicilium habere videatur, si utrobique ita se instruxit, ut apud utrosque diversis videlicet anni temporibus habitare censetur: ita etiam habetur in c. 2. de sepulturis in 6.

CAPITULUM VI.

Cùm teneamur.

PARAPHRASIS.

Si Papa mandat Ordinario loci aut executori, ut alicui Clerico habenti sufficiens bene-

beneficium provideat aliud beneficium, is, cui mandatur, exequi non tenetur, si in litteris mentio non fiat, quod impetrans aut provisorius aliud sufficiens beneficium jam obtineat, aut si provisorio absque scandalo fieri non possit.

SUMMARIUM.

1. Concessio à Pontifice de beneficiis obtinendo, si fiat Clerico sufficiens jam beneficium habenti, non prodest ad retinenda simul plurabeneficia, quamvis clausulam additam in rescripto habeat, non obstante, quod aliud beneficium jam obtineat, nisi expressa de pluribus retinendis fiat mentio.
2. Privilegium odiosum, & stricta interpretationis, trahitur quidem ad ea, que necessario accessoria sunt, non tamen ad accessoria contingentia tantum.
3. Plura prioris partis exempla enumerantur.
4. Enumerantur etiam aliqua exempla posterioris doctrinae.
5. Rescriptum aut mandatum Papæ, si sine scandalo impleri non possit, non est existimandum Papam velle, ut impleatur, nisi mandatum esset de jure indispensabili.

Notandum primum. In solita censi debet concessio, aut provisorio, si à Sede Apostolica fiat, Clerico habenti sufficiens beneficium, ut aliud insuper consequatur; quare licet litteris Papalibus clausula adjecta sit, non obstante, quod aliud beneficium jam obtineat, non ideo dispensatio super pluralitate, seu utroque beneficio simul retinendo facta, censi debet, nisi ea expressis verbis significetur. Ita etiam sumitur ex *c. non potest 21. hoc tit. in 6.* & singulariter annotarunt Navar. de oratione miscellaneo 61. Rodriguez. lib. 1. c. 31. n. 2. Garzias p. 11. c. 5 n. 323. tamen si impetrans novum beneficium à Papa, mentionem fecerit de uno, vel pluribus,

quæ tunc habet, tamen non ideo cum eo dispensari super pluralitate, seu ut prius habita, cum isto ipsi collato, servare possit, sed mentio beneficii antè habiti ad id tantum prodest, ne posterioris impetratio subreptitia fiat *c. non potest. c. cum adeo 17. de rescriptis.*

Confirmatur. Papa non facisè solet, nec in dubio præsumitur dispensare, contra Trident. Concilij statuta. In Concilio autem sess. 24. c. 17. de reformatione decretum est, ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem, si ad vitam ejus, cui conferatur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud conferre simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat. Tamen si verò hoc decretum eatenus servari non soleat, ne quidem ab Episcopis, sicuti Garzias notavit *in loco*, cum frequentissimè Clerico habenti unum, aut duo beneficia simplicia aliud conferri soleat etiam non adjecta dispensatione, neque apposita clausula, ut prius habitum aut habita dimittere debeat, sicuti talis clausula adijci solet, si beneficia incompatibilia sunt; tamen ad alium effectum necessariò operari debet dictum decretum, ut nec Papa, multò minùs Episcopus dispensare censeatur super pluralitate beneficiorum, quorum unum aut pauciora sufficientia sunt, ad decentem sustentationem personæ, sed ad hoc obtinendum expressâ dispensatione opus sit, præmissâ cognitione causæ, videlicet, quod personæ merita, vel labores singulares talem redditum abundantiam rationabiliter permittant, ac postulent.

Corollarium. Tamen si dispensatio, aut à privilegio contra Jus, quod odiosum, aut strictæ alioquin interpretationis est (*juxta c. 1. & 2. de filijs presbyterorum in 6.*) trahatur ad ea, quæ consequentia, aut necessariò accessoria sunt, non tamen trahitur, seu extenditur ad accessoria contingentia, seu quæ separari possunt. Priorem partem tradit *Gl. in c. precedente V. plures. ibidem*

Abb. n. 4. Innocent. n. 5. Fel in c. at si Clerici §. de adulterijs n. 16. de judicijs. Exempla plura legi possunt apud Rebuff. tit. de dispensatione ad plura beneficia n. 70. Primum. Si dispensatus sim, ut plura beneficia curata retinere possim, dispensatum etiam videtur, ut in altero per Vicarium, seu substitutum deservire liceat, ne aliquin frustranea fiat dispensatio. Addit *Gl. in cit. c. non potest V. retinere. Abb. cit. n. 4.* quod dispensatus nunc in una, nunc in altera parochia residere possit, dummodo alteri, in qua non residet, pro eo tempore ministerium non desit. Secundum. Minor 23. annis dispensatus ad beneficium curatum accipiendum, censetur etiam dispensatus super decreto *c. licet 14. de electione in 6.* quod adeptus beneficium, cui jura animarum incumbit, intra annum Sacerdotium accipere debeat, sicuti *Rebuff. & Abb. cit. locis* notant. Tertium. Si cum illegitimè nato dispensatum sit ad Sacerdotium, etiam Subdiaconatum, & alios Ordines accipere potest, teste *Rebuff. loco citato. Ioan. And. in c. postulasti. n. 11. de rescriptis.* Quartum. Episcopus, quo cum dispensatum, ut consecrationem intra annum accipere non teneatur, etiam beneficia, quæ ante Episcopatum adeptus est, retinere potest *secundum Ant. & Abb. cit. n. 4. in c. cum in cunctis*, propterea quod beneficiorum vacatio sit accessoria, seu conservativa consecrationis *secundum Gl. receptam in cit. c. cum in cunctis V. ad quem spectant.* Quintum. Dispensatus, ut tempore interdicti localis sacris officijs interesse possit, consequenter etiam famulos, quos convenienter statui suo habere debet, secum adducere potest *c. licet 11. de privilegijs in 6.*

4 Exempla posterioris partis sunt. Primum est *in cit. c. non potest*, si cui concessum sit, habenti unum sufficiens beneficium, ut aliud accipere possit, non ideo dispensatus censetur, ut utrumque simul retinere possit, quia hæc posterior facultas seu concessio separabilis est ab illa priore, ita ut

prior proprium effectum suum nihilominus consequi possit, sicuti supra explicavi. Secundum. Si dispensatum sit cum minore 24. annis, ut Sacerdos fieri possit, non ideo etiam dispensatum censetur, ut curatum ei beneficium, ante acquisitam ætatem conferatur, sicuti ex communi notat *Rebuff. n. 76.* Tertium. Qui legitimam ætatem nondum assecutus dispensationem accepit, ad Canonicatum Ecclesie Cathedralis, non ideo vocem in Capitulo habere debet *secundum Gl. receptam in Clement. 2. de aetate & qualitate Felin. cit. lo. 60. n. 17.*

Notandum secundò. Si rescriptum, aut mandatum Papæ sine scandalo impleri non possit, non est existimandum Papam velle, ut adimpleatur. Ita *Imola hic. n. 2.* Tamen si enim in hoc capitulo solum sermo sit de provisione beneficij, tamen ob identitatem rationis, ad alios similes casus transferri debet. *argum. c. Si quando 5. de rescriptis & c. 2. de prescriptionibus* quia propter scandalum, & propter perturbationem in populo vitandam à communis Juris tramite quandoque discedendum est, *secundum Gl. in cit. c. 2. Gl. in c. 2. v. pro Scandalo de novi operis nunciatione Gl. in c. 3. de regulis Juris*; quæ rectè distinguit, si jus indispensabile sit, ideoque ab eo recedi non possit sine peccato, tum factus esse scandalum permittere, quàm ut veritas relinquatur; si autem jus dispensabile sit, adeoque relinqui possit, tum propter scandalum vitandum receditur à Jure communi *juxta c. ut constitueretur 25. juncta Gl. V. detrahendum. dist. 50.* Quod si Princeps, v. g. Papa postquam ipsi relatum est de scandalo, nihilominus jubeat executioni mandari, tunc rectè distinguit *Abb. hic n. 2. And. in c. cum adeo. n. 6. de rescriptis. Navar. de oratione Miscell. 14.* executioni mandandum, nisi appareat esse injustum mandatum, si- ve absque peccato impleri non posse, cum

Deo magis obtemperandum sit, quam hominibus.